

## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10259**

De S. Vuilhelmo abbate Roschildensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

omnes aut plurimos lucraretur. Ego quidem sic amborum patrum virtutes laudibus immiscui, ut lautiore apparatu coniuias eiusmodi epulis gaudentes acciperem. Vobis autem, qui tanto studio iusta magno Eutychio persoluitis, nihil aliud consuluerim, nisi ut ad illum semper respiciatis: atque semper vos cum cernere, & ab ipso vos cerni existimetis. Hæc est laudum ipsius summa. Hic diuinus viri virtutum thesaurus.

Vos autem, qui me benignè audiuitis, tuque in primis diuinum sacramèntum caput, meæ orationis paupertati veniam date. Mosaicum illud de agni eflu mandatum expendite: quod ita se habet: Decima die mensis primi tollat vnuusquisque agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus, quām vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domini suæ. Si ad vnius agni eflum multos conuocando斯 præcepit, quid ad vnius pastoris, & talis pastoris laudationem fieri præcepisset? Ego, sancte pater, cùm tuis laudibus celebrandis par esse non possem, legi obtemperans, non pauperes vicinos, sed æquales tuos ac pares, viros eximios conuocaui, non vt agnum vnum edi consiperent, sed vt pastorem & peregrinationis socium collaudarent. Aequum est enim, vt homines priuati, & qui argentum non habent, id est, qui orationis diuinitatis carent, eant ad aquam viuam, & ex proprijs pūteis & fontibus hauriant. Neque enim fas est ad alienos fontes, hoc est, ad externam disciplinam & scientiam proficisci. Quæ igitur, pater sancte, ex tuis rectè factis assequi potui, ea prompto animo sicutibus propinaui. Quæ autem vires meas superabant, ea sapientibus reliqui persequenda: quorum verba, sicut scriptum est, sunt tanquam simili & clavi igniti. Da enim sapienti occasionem, & sapientior erit. Innotesci iusto, & adiiciet, vt suscipiat te. Et diuinus Apostolus: Vestra, inquit, abundantia inopiam supplet, vt & illorum inopia vestra sit abundantia supplementum, vt fiat æqualitas: Et, Quæ desunt Christi afflictiones, eas impleo in carne mea. Et rursùm: Quæ enim mihi deerant, ea venientes fratres impleuerunt. Et vos igitur, viri perfecti, qui viri huius sancti, diuinique patris ac magistri laudatores ac veri filii estis, animi mei studium & propensionem boni consulite: & quod laudationi deest, implete: immò verò totum hoc onus suscipite: vt impleatur id, quod scriptum est: Frater fratris fultus auxilio, ciuitas firma atque munita.

Tu verò beatissime ac sanctissime pater, è cælo nos adspice, & vita nostra cursum ad salutem dirige, vt cùm hinc deceperimus, recipias nos in finum Abrahæ, & in æterna iustorum tabernacula, vbi purius atque perfectius, quæ abs te de sancta & eiusdem sentiæ & sempiterna Trinitate didicimus, videamus. Eam, pater, pro nobis famulis tuis, & pro grege tuo, & fidelissimo hoc Christique amantissimo populo deprecare, vt æterna bona consequamur, in Christo Iesu Domino nostro: Cum quo, Deo & Patri gloria & adoratio, simul cum sancto & bono & vita largitore Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA S. VVILHELMI ABBATIS ROSCHILDEN-  
SIS IN DANIA, AB EIVS QVIDEM DISCIPVL  
conscripta, sed per F. Laurentium Surium aliquot locis in compendium  
redacta, plerunque etiam phrasē mutata.

Aprilis 6.

Dat operā  
literis.



Eatus Vuilhelmus ex nobili ortus prosapia, venerabili viro Hugoni Abbatii S. Germani de Pratis apud Lutetiam Parisiorum, à parentibus traditus est, rectè ac piè instituendus. Acceptus est ab illo perbenignè, siquidem nepos illius erat, curatumque vt liberalibus literis accuratè imbueretur. Et in ipsa quidem adhuc tenera ætate, cùm prima etiamnū literarum rudimenta poneret, diligenter considerabat, viderat, in preces incumberent. Itaque instar solerti apicula ex illorum bonis studijs, tanquam flosculus quibusdam, melia sibi colligens, in pectoris sui alueario congregavit. Porro in studio literarum, felici

felici ingenio diuina gratia accedente, multos coœuos adeò superauit, vt etiam inter egregios humanioris literaturæ magistros celebris haberetur. Latabatur Abbas Hugo proœctu & probitate nepotis sui, & gratias agebat Deo, curauitque ut subdiaconus ordinaretur, & Præbendam, vt vocant, obtineret Parisijs in ecclesia beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum & S. Genouefæ, vbi tunc Canonici seculares erant. Factus autem Canonicus, qua sui erant muneras, prudenter exequebatur, memorque eorum, quæ puer in monasterio viderat, sèpè solus sedebat in libro lectitans, & in diuina se lectione exercitans. Ea res molesta erat ceteris Canonicis, quorum erant mores depravati: & quadam cæcitat illi inuidentia, vnde debebant corrigi, indè facti sunt deteriores. Itaque non benè in eum animati, stridebant dentibus, & sermones iactabant virulentos. Timebant enim, nè breui cogerentur etiam ipsi ad meliorem se frugē recipere, & arctioris vita legibus frenarentur, aut certè ipsis cœctis, alij in eorum collegium introducerentur, quorum & habitus & vita esset religiosior.

Valdè igitur in eam curam & cogitationem incumbebant, quomodo eum possent à suo contubernio excludere. Erat inter illos quidam, qui beato viro præ cœtris familiarior esse videbatur. Is subdolè & fraudulenter cœpit cum illo colloqui, sed dictorum exigere silentium, simulare propositū petendi monasterium, vitam illorum Canonicorum detestari, sed fictè: petere, vt tam sancti propositi ipse se velit sociū præbere. Placuit Vuilhelmo tam pius animus, ait se non defuturum, si ille prior suo exemplo ipsum confirmaret: multa interim & quidem crebra inter se miscent colloquia de contemptu mundi, tandemque statuunt pariter se conferre ad monasterium, quod Charitatis dicitur. Quo cùm venissent, à præfecto monasterij humanissimè recipiuntur, & in hospitio iubentur eis necessaria ministrari. Ibi tum homo versatus, socius Vuilhelmi, hortatur eum ad constantiam, ait sibi restare quædam necessaria expedienda negotia, quibus expeditis, ilicè se spondet redditurum. Tunc demum sentiens Vuilhelmus hominis fraudem, neque geri hoc negocium è spiritu Dei, sed machinari illum quippiam non sincerè, ait, merito illum, qui esset axata maior, priorem ciuitam debere in suscepso proposito declarare constantiam. Videns autem ille frustrè se niti, longa trahens ab imo peccatore suspiria: Differamus ergò, inquit, in aliud tempus: sicque pariter domum reuersi sunt.

Porrò Abbas Hugo voluit Vuilhelnum etiam Diaconum ordinari. Ibi rursus acceditur inuidentia æmulorum, timentium nè ad eum prouectus gradum, etiam maiorem obtineat dignitatem. Adeunt igitur Parisiensem antistitem, orant nè cum promoueat, perfaudentque fraudulenter circumuento. Cùm enim multis eum nominibus accusassent, episcopus nimium credulus, collationem sacrorum ordinum in aliud tempus reiecit. Non latebat ea improborum hominum versutia Abbatem Hugo. Itaque cum suis literis misit Vuilhelnum ad Sylvaneensem episcopum, qui eum Diaconum ordinavit. Redit indè domum Vuilhelmus, ne scientibus alijs Canonicis, quid actum esset: atque sabbato proximo designatar Homilia lector futurus, nec potuit ea in re proper illorum importunitatem obtinere aliquem, qui eius muneri vicarius succederet. Id autem illi ea causa faciebant, vt hac re offensus, scandalo pataret, & ipsi contra eum, tanquam non satisfacientem institutioni Canonicæ, suæ malevolentiae exercendæ ansam haberent. Sed nocte Dominicæ diei, cùm septima esset recitanda lectio, ipse ad eam pronunciandam accessit. Erat tum Euangeliū de Lue.ii. magnō stupore attonitus, nihil responderunt loco benedictionis, immò verò omnes è templo abiérunt, solo Vuilhelmo reliquo & magistro Alberico, viro bono & iusto, qui illorum conatus non fuerat assensus. Manè rursus illis in unum conuenientibus, & de ijs, quæ nocte designarant, inter se conferentibus, superuenit etiam magister Albericus, atque ita loqui exorsus est: Id quidē pro certo affirmare possumus, hac nocte vidisse nos mirabilia. Mirum illud sanè fuit, quòd Christus dæmonium mutum eiecit, & homini lingua officium restituit: sed hoc multo mirabilius ego puto, quòd D. Vuilhelmo illud Euangeliū pronunciante, cœcti sunt confratres eius ex ecclesia, coquæ loquente, illi obmutuerunt, & tanquam alieni ab eo recesserunt. Hec cùm ille dixisset, apud auditores ignominia notam reportarunt æmuli illi: porrò B. Vuilhelmus iugi meditatione scripturarū sc̄e confirmans, in omnibus prudenter se gerebat, diuinusq; protectus adiutorio & patientiæ clypeo munitus, aduersarios suos, de sua malitia

Aemuli eius  
permucent  
Episcopum,  
nè illum or-  
diner.

Judea Y. 2.  
fit Diaconus.  
nus. Quid  
audiret.

nihil remittentes, facile superauit, atque etiam honoribus creuit, auctus cuiusdam Pra-

positura dignitate.

Eugenius 3.  
Rom. Pon-  
tifax venit  
Lucetiam.

Accidit deinde, ut Eugenius Pontifex sese in Gallias conferret: cumque Luteriæ appropinquaret, Ludouicus rex & Parisiensis episcopus cum multa cleri populi frequentia ei obuiam procedentes, illum honorisce excepérunt, atque ad beatissimam Mariæ virginis ecclesiam cum ingenti gaudio deduxerunt. Paucis inde clapsis diebus, voluit idem Pontifex in ecclesia B. Genouefæ mysteria Diuina peragere, quia Apostolica dicebatur. Vbi eò ventum est, orta est contentio inter summi Pontificis & huius ecclesiæ Canonicorū ministros, adeò ut ad pugnos res processerit, & non solum Pontificis ministri, sed etiam ipse rex Ludouicus, qui illos compescere voluit, à canonico-rum illorum famulis verberatus sit. Tanta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex, cum Ludouico rege tractauit de improborum hominum insolentia digne castiganda. Visum est autem, in eorum locum alios subrogare, homines religiosos, nempe monachos illos, quos nigros vocant: neque tamen Canonicos illos per vim suis Præbendis siue sacerdotijs priuare volebant, (erant enim inter eos non pauci nobiles & literati) sed permettere, vt illis, quoad viuerent, fruerentur. Verùm vbì iſhuc Pontificis & regis propositum ad aures Abbatis S. Victoris perlatum est, Pontifici & regi valde supplices preces ille obtulit, vt Ordinis S. Augustini professores in eam ecclasiæ introducerentur, multisq; ostendit rationibus, contumaces illos facilius ad horum vitam regularem, quam ad monachorum habitum & consuetudinem, tradu-  
ctum iri. Pontifex & rex his auditis, cùm iam exploratam haberent bonam famam il- lius Abbatis & fratrum eius, eorumque institutum præ multis alijs prædicari non ne- scirent, domum quoquè S. Victoris suauem eximie charitatis de se odorem spargere, Abbas precibus assensere: atque die sequenti electus est in Abbatem Odo Prior, ho- mo sanctæ conuersationis, atque totius religionis amator indefatigabilis: adiuncti- que sunt ei duodecim Canonici, viri probi ac bona existimationis, qui in Ecclesia S. Genouefæ cōmorarentur: atque ex eo tempore usq; in præfens iſhuc Canonicorum S. Augustini institutum ea in ecclesia conseruatur, ex priuilegio Pontificis Eugenij & regis Christianissimi Ludouici.

Abbas con-  
stituitur in  
ecclesia S.  
Genouefæ.

Cum hæc ita gererentur, Vuilhelmus ad suam Præpositoram secesserat, de rebus domiñsu cum amicis pertractans. Sedenti autem ad mensam diuersis ferculis instru- etam, quidam deimprouisò adueniens, ita locutus est: Dominus Odo, Abbas ad S. Genouefam, has ad te literas iussit perferriri. Ille auditio nomine Abbatis, valde admirans, ait: Quis est hic Abbas? quando verò Abbas aliquis fuit ad S. Genouefam? Re- spondit nuncius: Odo Prior S. Victoris hesterno die institutus est Abbas ad S. Genouefam à summo Pontifice & rege Ludouico. Tū Vuilhelmus, Somniare ne mihi vide- or, inquit, an res veras tu mihi narras? Vera equidem refero, ait nuncius. Resignatis mox literis, didicit ab Abbatे Odone mandari, vt quamprimum ad suam ecclasiæ accedit. Surgit igitur posthabito conuinio, cunctisque valedicens, ait: Ibo visum, que sit hæc mutatio dexteræ excelsi. Postquam ad S. Genouefæ collegium venit, vidit ibi homines religioso habitu indutos, nec dubitauit vera se ex nuncio audiuisse. Interim admirabatur plurimum, qua de causa tam repentina facta esset mutatio. Nunciatur autem Abbat adueniens dominum Vuilhelnum: moxque illi Abbas hilariter o- currit & amanter eum amplectitur: deinde omnia, quæ gesta fuerant, illi ordine exponit, cœpitque cum adhortari ad contemptum mundi, proponere multa è scripturis diuinis, quæ possent acres illi stimulos admouere, de mundi vanitate, de fallaci amici- tia huius seculi, aliaque id genus non pauca: quibus absolutis, apprehensā manu eius, duxit illum ad vitream fenestram, in qua picta erat effigies crucifixi Salvatoris: atque ibi repetitis sermonibus, animum eius inflammare voluit, vt cuperet ipse quoquè cri- cifixum Dominum suum ferenda cruce sua imitari. Ecce autem adest gratia spiritus sancti, tantaque lachrymarum vis ab oculis Vuilhelmi prorumpit, vt vix sermonē pro- ferre posset. Ait autem ad Abbatem: Vtinam scire possem, quod me non digne- tur habere seruum Dominus meus Iesus Christus, & superioris ætatis iniquitatibus & erratis veniam dare. Cui Abbas: Ego, inquit, pro illo fideiisfore me offero, si di- es meis parere volueris, fore, vt non modò remittat errata tua, sed etiam post hanc vitam cum sanctis suis immensa te donet beatitudine. Tum verò repente ad ei- us pedes collapsus Vuilhelmus, se & sua tum Deo, tum illi commendauit, sicque de-

S. Vuilhel-  
mus ab Ab-  
bate Odone  
accerstur.

## VITA S. VVILHELMI ABBATIS ROSCHILDEN.

609

mundi huius naufragio nūdus eusit. Latatur verò Christi familia de tam præclarissimis. Vuilhelmi conversione, tum etiam de oblato ipsis diuinis, & quidem præter spem, auxilio misit Ca-  
tam opportuno. O quām magnifica sunt opera tua bone IESV. Advnius fidelis nonius Regulus. seruū tui admonitionē relinquit Vuilhelmus noster prædia, possessiones, domos, familiam, opes & honorem, atque ultra hæc omnia, quod est omnium præstantissimum, etiam semetipsum.

Accepto deinde habitu regulari, Vuilhelmus illorum duodecim fratrum collegio accepit, atque vñā cum habitus mutatione, ipse quoquè in virum alterū mutatus est, iamque ibat de virtute in virtutem, charitate seruens, humilitate precipuus, patientia fortis, obedientia tractabilis, & ad virtutum ceterarum studia promptus. Vacabat in Virtutes S. Vuilhelmi, stanter lectioni, orationi, diuinæ contemplationi, vigilijs & leiuinijs, vt corpus in servitute redigeret: & qui anteā serice nitebat vestibus, iam in habitu abiecto pauper pauperibus inseruit: oblitusque diuinitarum vita superioris, instar aliorum vescitur pane furfureo & herbis agrestibus. Neque id mirū debet lectori videri. Non enim habebant tum nisi duas, ut vocant, Præbendas, quibus initio & ipsos fratres & familiam oportebat esse contenta, donec alijs Canonicos paulatim e vita abeuntibus, redditus eorum augerentur. Et quidem fortis athleta Christi Vuilhelmus, in proposito firmus, religiosus & instituti sui tam erat æmulator vehemens, vt cum iam Superioris, ut vocant, officio fungretur, nulla sincerat sacræ religionis instituta violari. Interēa apparuit illi nocte quiescenti Dominus IESVS sub forma speciosissimi adolescentis, vocans. que cum proprio nomine, Noueris, inquit, Vuilhelme, te ad quandam insulam mecum profecturū, multasque illic tentationes & molestias perpessurū: sed iis mea ope superatis, ad me venies in celestem paradisum. Eam visionē non prius intellectus, quam esset in Daniæ insulam \* Selandiam, ubi modò quiescet, accitus. Præteriē inde anni Dicuntur ead. S. Odone è vita decadente, Garinus, eius monasterij Prior, Abbas creatur: erat enim vir doctus & probus, & in rebus agendis prouidus ac circumspectus. Ille modis omnibus Priorem volebat instituere quandam è fratribus, nec alij fratres abhorabant. At ille iam eligendus, reclamabat, dicens in regali Abbatis meritō per regem débere constitui Officiales: sic enim vocant eos, qui eiusmodi functionibus prædicti sunt. Ea res male habuit fratres, dixeruntque illi: Si vis ex nostri instituti præscripto Prioratum suscipere, nos non refragabimur: sin autem transgredivis terminos, quos posuerunt patres nostri, nunquam èo pertinges. Ille in sententia mansit pertinax, estque in regis palatio ab ipso rege, Ordinis constitutiones ignorante, factus Prior. Cum autem vellit pulsata campana conuocare fratres ad mensam, valde id molestè tulere fratres, nec ferre potuit eam insolentiam vir Dei Vuilhelmus, sed zelo Ordinis & iustitiae accensus, illum à campana pulsanda remouit, Suprioremque adhibuit. Eo nomine accusatus apud Abbatem, tanquam qui manum violentam inieccisset in Priorem, publicam iussus est agere poenitentiam: nec id facere recusauit, licet palam testaretur, se nulla cum affecisse iniuria, atque ab officio Prioris non Prior abegisse, sed instituti præuaricatorem. Displuit autem fratribus ea Abbatis in Vuilhelnum prolatæ sententia, remque totā summo Pontifici, qui apud Senones tunc erat, indicarunt. Pontifex verò tum instituti præuaricatione, tum Vuilhelmi iniusta damnatione non leuiter commotus, Abbat S. Genouefæ mandauit, ut citra moram vñā cum Vuilhelmo ad ipsum accederet. Paruit ille, veniensque ad Pontificem, temeritatis & immoderationis arguitur: porrò Vuilhelmus ab eius sententiā abfoliuitur: mandatque Pontifex seuerissime, ne deinceps Officiales contra Ordinis instituta elegantur.

Ortus est postea rumor in vulgo, ablatum esse caput S. Genouefæ ē loco suo. Perfertur etiam usque ad aures Ludouici regis, qui valde indignatus, iurauit, si res ita foret, se Canonicos eius Ecclesiæ omnes inde expulsurum. Adhibentur autem custodes reliquijs Ecclesiæ illius, mittitque rex literas ad Archiepiscopum Senonensem eiusque suffraganeos episcopos, Abbates quoquè & Piores eius dioecesis, vt ad certum diem omnes ad sint Parisijs, rei huius veritatem exploratur. Vbi ad fratres ecclesiæ S. Genouefæ regis minæ peruenêtre, non immerito animis consternati sunt: sed longe tam dolebant magis tam precioso sacrarum reliquiarum thesauro se, vt verbabantur, thesaurum ecclesiæ asseruanda iampridem receperat. Iam aderat præstitutus dies, aduenit

Eccē quantus zelus erat a fratre genouefae reliquiae seruabatur. Volut autem cum eis pariter ascendere Vuilhelmus, tanquam sacri custos thesaui, sed non permittitur. Arripuit

aduenit rex cum suis, aduenerunt Pontifices & Abbates, aduenit etiam populi multitudo non exigua, exitum rei nōsse percipiens. Designantur, qui cum Episcopis ascendant ad eum locum, vbi S. Genouefa reliquiae seruabantur. Volut autem cum eis pariter ascendere Vuilhelmus, tanquam sacri custos thesaui, sed non permittitur. Arripuit tum ille, haud scio an candelabrum vel thuribulum, secum ira dicens: Si non licet aliter, saltem ut minister ascendam. Aperitur deinde theca, & ecce caput sancte virginis, quae est Galliarum scutum & ornamentum, cum ceteris eius artibus repetitur. Non potuit tunc animi sui latitudinem intra se cohibere Vuilhelmus, sed non habita ratione tortuosa maiori dignitate præstantium virorum, fiderat cantat, Te Deum laudamus: eius vocem excipit tota illa hominum frequentia, & ad finem usque illud canticum deponuit. Eo absoluто, Archiepiscopus Orationem de S. Genouefa subiungit: qua dicta, Aurelianensis episcopus furibundus in has prorupit voces: Quis est petulans ille, qui præter Archiepiscopi & aliorum antistitutum authoritatem, propter vetulæ cuiusdam caput, hic fraudulenter ab istis impositum, ausus est inchoare, Te Deum laudamus? Respondit autem illi Vuilhelmus: Si nōsse vis, quis ego sim, non abngeo esse me famulum S. Genouefae. Nec me temeritas impulit, sed sincera erga sanctam virginem dilectio. Caput autem, quod vidistis, non dubito vetulæ fuisse, sed virginitatem integrum perpetuo retinentis. Septuaginta enim & eo amplius annis virgo permanuit incorrupta S. Genouefa, donèc spiritum celo, corpus terræ redderet. Sed ne qua sit de hoc capite ambiguitas, iubeatis clibanum vehementer accendi, & ego ad sanctissimam virginis huius merita declaranda, cum eodem capite in illum intrepidus ingrediar. Tum episcopus ille deridens beatum virum, Tu'ne, inquit, in ardente clibanum cum hoc capite intrabis, cum quo ego nolle in cupam aqua calida plenam ingredi? At verò Archiepiscopus ultra non ferens illius episcopi dicacitatem, silentum ei indixit: porro religiosi viri fidem & erga sanctam virginem deuotionem approbavit. Sed non impurè abijt stultiloquium, ore polluto prolatum. Nam postea ille multis obstrictus facinoribus, à sua sede eiectus, vitam indignam digna morte miserabiliter finivit.

Anno a nato Saluatoris nro. regnum Danie obrinuit Vualdemarus, Canuti regis & martyris filius, vir sapiens & strenuus, qui Vuandalos a regni sui finibus propulsauit: nam sèpè infestos illos patiebatur, utriusque sexus homines & prædā multam secum abducentes. Tandem verò etiam Christianæ religioni eos coegerit colla submittere. Per id tempus Roschildensi Ecclesiae cum multa laude præsidebat Absalon episcopus, vir magni consilij, cleri decus, mœrentium & afflictorum consolator, religiosorum pius amator, totius populi rector modestus, adueniarum & pauperum benignus sustentator, Vuandalorum strenuus debellator, religionis Christianæ ornamentum, exemplar sobrietatis, forma pudicitæ, vera nobilitatis & probitatis insigne speculum, lucerna fulgens in templo Dei, eiusque columna fortis & immobilis. In eius dioecesi erat coenobium Canonicorum, in insula, quam Eschyl vocant, non longe distante ab oppido Roschildensi, mari vndique cincta. Et ipse quidem locus per amenus erat, pratis virgentibus & diuersis nemorū arboribus oblectans oculos animosque illic degentium: at tamen id temporis pauci illic morabantur fratres, & i ipsi frustra Regulares dicti, cum à regulari disciplina multum deflexissent. Cernens autem venerabilis episcopus Absalon illorum mores ab omni religione prorsus abhorre, mœratabat animo, feceratque indignè diabolica fraude deceptos, vitam prorsus mundanam viuere.

Cœpit itaque crebrè secum pertractare, qua ratione posset illi ecclesiæ consulere, atque illic degentium mores in melius reformare. Redit tandem in memoriam familiaritatis & amicitiae, que illi olim intercesserat cum Vuilhelmo viro religioso, cum Parisijs literis operam daret: sciensque illum virtutibus & sanctis moribus ornatum, deliberauit illi ad se accito tradere locum memoratum. Mittit itaque in Gallias Sa-

Is est Saxo xonem Præpositum Roschildensem, virum honestum, qui ab S. Genouefae collegio Grammaticus, insignis Danorū historiaphas. petat dominum Vuilhelmum cum alijs tribus fratribus mitti in Dаниam, quibus etiam locum opportunum se episcopus datum pollicebatur. Abbas verò ecclesiæ S. Genouefae, animaduertens tanti præfusis æquas & bonas esse preces, de fratribus suorum confensu ablegauit Vuilhelmum cum tribus alijs in Dаниam, deducente eos Saxonem Præposito. Et ij quidem cursu prospero post assumptionem beatissima Matris

Calumnia  
cuiusdam  
antititis.

Vltio divi-  
na in anti-  
stitem.

Absalonis  
episcopi Ro-  
schildensis  
virtutes.

Is est Saxo  
Grammati-  
cus, insignis  
Danorū hi-  
storiaphas.

VITA S. VVILHELMI ABBATIS ROSCHILDEN.

611

matris Dei peruenire in Selandiam, & triduo post Ringstadium, quod B. Canuti martyris meritis illustratur. Ibi verò tum præsens aderat Vuildemarus rex & Absalon episcopus, qui illorum aduentu latai, eos amplexi sunt; promiseruntq[ue] se eos futuros haud aliter atquè filios, dilecturos ut fratres, & tanquam amicis consuturos. Post triduum indè proœcti sunt Roschildiam, adiunctis eis quibusdam ex episcopi fa- Danorum hospitali- milia, qui illorum curam gererent, quemadmodum habet gentis illius consuetudo tas.

Paucis in vrbe diebus exactis, ad insulam Eschylli appulerunt. Erant autem sex illic solo nomine Canonici, qui illorum aduentu non mediocriter turbati, quod vere- rentur depravatos suos mores propediem castigatum iri, communicato inter se consilio, statuerunt adire episcopum, eique tanquam nescienti quid accidisset, indicare. Venitur indè ad episcopum, ille dissimulat, nè ecclesiæ res ipso absente magis magisque dilapidarentur: præfigit verò illis certum diem, ad quem sit præsens futu- rus, & de fratribus illorum peregrinorum aduentu perquisiturus. Altero deinde post S. Bartholomæi ferias die aduenit, & collato cum eis sermone de pastore constituen- do, Vuilhelmus Abbas creatur, & in Abbatis sede collocatur, tametsi anteā non Ab- vuilhelmus batem, sed Præpositum atque Priorem illie habuissent. Eodem die duo ex illis Cano- creatur Ab- niciis discedendi & petierunt & impetrarunt, nè tumultus illo in loco ciérent: bas.

quatuor remanserunt arate exacta, iam inutiles ferè ad omnia. in ijs fuit Prior, vir bo- nus & iustus, qui se Vuilhelmo & eius socijs adiunxit, vitamque priorem piè trans- actam, meliori fine conclusit. Postea autem, rogante domino Vuilhelmo Abbate, vo- luit episcopus Absalon scire domū illius facultates & annonom. Ferè autem nihil inueniunt est, omnibus absumptis. Ea res Episcopo & admirationi & pudori fuit: at nihil minus iussit Abbatem & fratres bono esse animo, & tum quidem denariorum li- bras quinque eis dedit, quibus alimenta coëmerent, impensas necessarias promittens in posterum.

Interea labuntur aliquot dies, & peregrini fratres tantam penuriam tum etiam fri- goris nimiam acerbitudinem non satis commodè ferentes, ab Episcopo redeundi in Gallias petunt facultatem. Etsi autem id non mediocriter Episcopi animū commo- ueret, at tamen noluit cuiquam vim inferre, passusque est illos discedere. Illis abeun- tibus, Abbas Vuilhelmus absteritus eius regionis moribus & ignoto gentis idioma- te, itidem ab Episcopo ad suos se recipiendi venia poposcit, ascerens vires suas imposi- to oneri longè impares esse. Tum verò Episcopi & vultus & animus concidit: sed tandem ita ferè locutus est: Valde quidem optauimus aduentum ad nos vestrum, vt firmiter Vuilhelmu abire volentem.

hunc ecclesiæ consuleretur: sed vt videmus, prosperis eius successibus iniuder ve- tus ille inimicus, veritus nè ab antiqua possessione sua excludatur. Si tamen benigni- simus Deus animum hunc tibi adspirare dignetur, magno pieatis affectu rogam- te velim, nè suscepsum semel munus & prouinciam deseras. Non frangat animum tuum, quod solus vidéris tantum moliri opus: quia non humanis viribus, sed caelesti gratia nitendum est. His & id genus alijs optimi Episcopi sermonibus confirmatus Ab- bas, mutata sententia, decreuit illic permanere, reiisque eventum sustinere. Eodem autem anno famæ ingens regione illam occupauit, mortuisque pecoribus propè vniuersis, fratres, qui reliqui erant, neque buffyrum, neque caseos, sed nec panes ha- bere potuerunt. Illi autem culpam omnem in Abbatem Vuilhelnum conferentes, dicebant per calumniam: Proh dolor, cur huc ad nos accessit homo paupérissimus, vilis homuncio, nihil ferè neque manducans, neque bibens, sed præstantiores quasque do- muis huius res auro argentoque permutans, coquæ in suos recondito loculos, nos in- edia confici sinens. Sparsus est indè hic falsus rumor, multorumque aures occupauit, & apud maleuolos veritas obscurata est. At vir Dei hisce calumnijs nihil motus, æquo

cas ferebat animo, factus tanquam homo non audiens, & non habens in ore suo re- dargitiones.

Quadam nocte fratribus dormientibus malignus satan lucernam dormitorij euer- Dæmonis tit, eamque iuxta lectum Abbatis, vbi multa erat straminum congesies, depositus, Ab- malignitas in virum batem exfusurus. Sed non neglexit famulum suum Christus: & stramina quidem in sanctum.

circuito lecti eius ardebat, asperque ijs suppositus adurebatur, sed lectu Abbatis ignis

prorsus non attigit. Eius rei fama ad Episcopum perlata, post dies paucos ille ad lo-

cum peruenit, comperitque vera se audiisse. Alio tempore, Vuilhelmo Abbatem cum

Thru-

Item alia. Thrumone sacerdote, viro docto & prudente, in pago, quem vulgo Torstantop appellant, nocte quiescente, antiquus hostis fremens in sanctum virtum, sumpta effigie decrepiti eiusdemque turpissimi monachi, ad eius lectum accessit, signoque salutaris crucis munitum, conabatur spurca inflammare libidine. At ille, licet oculis dormiens, mente vigil erat, dixitque daemoni: Abi hinc omnium spuriissime: in me, proprio Christo, tuae machina nihil obtinebunt. Ille his auditis, acrius fuit, accedensque propius, in os Abbatis putentem nebulam ingerit, peccataque iam olim per confessionem & lachrymarum largos imbrues expiata, illi procaciter improperat. Tum ille, sublato pede, valido impulsu demonem se reiecit. Daemon se dolens elisum, instar fauissimi leonis ad Thrumonis lectum accessit, in eiusque vigilantis latus ictum grauissimum impedit, ita ut is putaret aliquor costas sibi communatas. Manè laudibus Deo persolutis, Abbas & Thrumo in hypocaustum abeunt: cumque illic pariter consedissent, Thrumo ait: Seruet & adiuuet te Deus domine Abba. Ille respondit, Amen. Eundem autem sermonem Thrumone bis terque repente, Abbas, quid id sibi vellet, inquisivit. Tum ille, Scio, inquit, multas te tentationes perpeccum, pluresque perpeccurum: sed ex his omnibus liberet te Deus. Vidi quam hac nocte infestus tibi fuerit satan: sed cum tu illum cum ignominia abegisses, in me furibundus incurrerit, adeoque cœdit latus mei, ut verear aliquam è costis contractam. Itaque sentio improbo illi fortiter tibi obluctandum esse, nè ex te victoriæ reportet.

Multis calumnijs & iniurijis infestatur.  
Rom. 5. Verum cum sentiret hostis tartareus machinationes suas aduersus Christi seruum frustra adhiberi, conatus est per suos efficere ministros, quod per se non potuit. Itaque instigavit quosdam, qui eum varijs afficerent contumelij & multis iniurijis irritarent, atque ita cum dedecore cogerent in Gallias remeare. Sed ille fundatus supra firmam Petram, verbis eorum nihil perturbatus est, sèpè illud Apostolicum versans in pectore: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit. Cum igitur filij degeneres in his processium non haberent, de molienda ei nece tractare coeperunt: iam sacco inclusum in mare demergere, modò cultellis confondere, alias Vuandalis eum vendere, crebro vero etiam securibus in eius cerebrum impactis cum perdere cogitabant. Sed præpotens Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, dissipauit consilia eorum, & fideli seruo suo fecit etiam cum tentatione prouentum. Cur autem in eum tam male animati essent, ea causa fuit, quod instituta Ordinis volebat exactè obseruari, nec patiebar eos per abrupta vitiorum ire præcipites. Erat enim sanctæ religionis cultor indefessus, Ordinis sui sacræque institutionis conservator admirabilis, vitiorum rigidus profligator, virtutis amator egregius, honestatis & sanctimoniae totius diligens investigator & doctor: in castigando seuerus, in corrigendo sedulus, in exhortando suavis & placidus, in reddenda ratione modestus, in sermone verax, in iudicio iustus, in rebus eius fidei commissis integer & fidelis. Consolabatur ægros, pauperes & peregrinos benignissimè curabat, infistebat vigilijs, iciunijs, crebris precibus, curam sui gregis gerebat perpetuam, assiduis precibus eum Domino cōmendans. Fratribus noctu quiescentibus, preces nocturnas ipse anteuerterebat, multisque gemitis pro illorum salute Christi clementiam implorabat. In sermonibus, quibus fratres solebat ad pteriat studia incitare, facile soluebatur in lachrymas, adeò ut sapenumero audidores ad cordis cōpunctionem & poenitentiam permouerentur. Zelo autem Ordinis siue instituti sui inflammatu, interdum superbis & tumidis rigidu se præbebat, transgressoribusque multam irrogabat. Nouerat enim pro ijs omnibus se Deo rationem exactam redditurum, qui cuius vel exemplo vel silentio à recto itinere ad denios vitiorū calles aberrarent. Si qui vero fuissent mente præfacta, & ad petendam pro suis culpis veniam obstinata, ut illos suo exemplo emolliret, ab eis veniam petebat, licet id pro sui muneric dignitate minime deberet.

Catalogus virtutum eius  
In persecutionibus, quæ ei tum à discipulis, tum ab alijs inferebantur, constans erat & patiens, omnesque sua tolerantia vincebat. Clemens in primis & misericors fuit in peccantes in ipsum & deinde veniam petentes, eosque hilariter & comiter excipiens, pro illorum erratis fleuit largiter, & pro resipiscientia Domino gratias vberes egit. Charitas fuit sectator indefatigabilis, obtestationum & inuidie hostis capitalis. Verba inania & indecora siue ab honestate aliena minimè proferebat, risum ineptum respuebat, neque ab alijs eiusmodi verba audire sustinuit. Sermo eius omnis erat de pace, de concordia, de humilitate, de mansuetudine, de honore quoquæ, quem sibi mu-

tuò fratres impendere deberent, sicut dicit Apostolus, honore inuicem præuenientes. Rom. 12.  
 Lectioni assidius vacabat, præcipuaque in Deum & res diuinæ deuotione ferebatur,  
 nec vñquam sine magna necessitate à nocturnis diurnisque precibus in ecclesia per-  
 soluendis voluit abesse. Circa deuotionem in templo psallentium & sacri altaris mini-  
 sterium sedula animi cogitatione versabatur, & quos erga hæc maiori feroce & pietate  
 præditos nouerat, eos tenerrimè diligebat. Cilicio ad mortem usque carnem ma-  
 cerauit. Mensa frugali usus est, nec tam sui corporis refectionem, cùm esset mira absti- Eius mensa.  
 nentia, quām pauperum & infirmorum, quos paterno fouebat affectu, refocillatio-  
 nem spectauit. In lectulo suo nihil præter laneum pannum (Author laneotum vocat) Lectus.  
 stramibibus impositum, aut, si esset acre gelu, pelles virorum habebat, nisi morbigra-  
 uis molestia eum mollioribus rebus vti compulisset. Sicut autem modico erat vietu Vestes.  
 contentus, ita etiam corporis indumentis. Monasterium sancti Thomæ Apostoli in Monasterium  
 loco, qui Paracletus vocatur, primus ipse construxit, institutumque S. Augustini eius construit.  
 habitatores sectari voluit, accedente etiam priuilegio Pontificis maximi Alexandri. Miracula.

Multis verò miraculis seruum suum Christus cohonestauit & fecit admirabilem.  
 Quidam dysenteria vexatus in pago, qui ab incolis Medellis dicitur, in visu audiuit, vt  
 de cibo Abbatis Vuilhelmi ederet, nece dubitaret ab illo morbo liberatum iri. Cre-  
 dit homo, misit qui Abbatis cibos adserret, comedit, seque sensit sanitati restitu-  
 tum.

Est pagus monasterio illi vicinus, Nadunet vocabulo. In eo puella tanto cruciaba-  
 tur dolore morbi cuiusdam, vt per triduum quasi exanimis iacere videretur, nisi quod  
 calor vitalis in eius membris sentiebatur. Adstabant cognati, & haud secus atquè mor-  
 tuam lugebant. Mater puellæ Brigida, quæ iam aliquot dies & noctes apud eam perui-  
 gil manerat, die quarto leuiter obdormit, videt in somnis adstantem matronam ni-  
 ueo habitu indutam, ipsique dicentem: Multum affligeris in commodis filiæ tuæ: sed  
 si iuferis ei afferriri reliquias eiborum Abbatis Vuilhelmi de Paracleto, videbis breui  
 incolumem. His dictis, illa dispergit, mulier euigilat, refert visa & auditæ omnia ijs, qui  
 aderant: illi monent obtemperandum, quandoquidem ille Abbas à multis pro fan-  
 ño haberetur. Abit mulier properè, indicat fratribus quibusdam eius monasterij visi-  
 onem, illi narrant Abbat: Abbas, vt erga afflictos semper erat pietatis viæceribus af-  
 fluens, pisciculos & sorbitiunculam sibi præparatam iubet tradi mulieri: illa hilariter  
 accipit, festina redit domum, sorbitiunculam in os filiæ infundit, cumque tertio id fa- Penè exani-  
 ceret, reuixit puella & attraxit spiritum, atque post paululum refedit, quæ iam inter mis puella  
fanatur.  
 mortuos computabatur: accedentibusque ad eam amicis, ait: Confido in Domino,  
 me precibus & meritis Vuilhelmi Abbatis reualuisse. Et hæc quidem nos habemus ab  
 ijs, qui præsentes interfuere, & scimus veraces illos esse.

Monachus quidam Cisteriensis Ordinis, Haquinus nomine, incola monasterij,  
 quod Esrom vocant, multis annis ex pectoris obstructione & angustia, tanta labora-  
 utracedine, vt vix etiam ab adstantibus posset internosci quid diceret. Multa qui-  
 dem illi malo remedia adhibuerat, multas medicorum potionis hauserat, sed frustra.  
 Incidit tandem illius animo, vt Abbatem Vuilhelmu adiret. Non cunctatur ille, ve-  
 nit ad virum Dei, rauco murmure explicat pectoris vitium, precatu obnoxie, velit manu  
 sua contingere guttur languidum. Ille exprimens signum Crucis, tangit guttur & ait:  
 Sanet te filius Dei: monachus verò sentit celeste remedium. Nam sensim dilatata ar-  
 teria anheli pectoris, organum vocis magis magisque reformatur. Profectus quando-  
 què Romam fuerat vir Dei, cumque rediret, inter Alpi rupes equus famuli eius adeo  
 attriti pedem, vt ingredi non posset. Doluit id summopere viro sancto: Itaque rogar-  
 net Deum, vt ob merita sanctorum, quorum sacras reliquias secum detulerat, equum fa-  
 net. Deinde tangit equi pedem, & ille redditur expeditus ad iter.

Incidit quodam tempore vir sanctus in morbum grauem, qui ei quoquè viuendi  
 spem auferret. Nocte autem Dominicæ diei, morbo acrisse fauiente, B. Genouefam S. Genouefa  
liberat eū à  
 virginem, quam impensè amabat, sedulò rogauit, vt apud Dominum pro ipso inter- grauis mor-  
 bo.  
 cederet. Deinde somno correptus, videt sanctam virginem ad lectuli sui pedes adstan-  
 tem, facieque iucunda & blando sermone ita ipsum consolantem: Noli timere, quo-  
 niam bonum Dominū habemus. Ille eam agnoscens, gratias egit, quod ad ipsum ve-  
 nire dignata esset, rogauitque quisnam ille esset Dominus. Respondit S. Genouefa: Ic-  
 sus filius Dei. Ille audito hoc mellitissimo nomine, valde exhilaratur, atque post paulu-  
 lum euigilans, sentit se incolumem. Multa alia per seruum suum Christus fecit mira-  
 cula:

cula: sed tempus est, vt ad felicem eius describendum obitum quandoquā nos conseramus.

**Visio eius.** Ante annos septem, priusquam migraret à vita, nocte quadam in visione adstitit ei vir quidam eleganti vultu, veneranda canitie, dixitque illi: Septē dies viues. Illo disparente, vir sanctus mansit sollicitus, nesciens quānam accipienda esset, quae audierat. Iam septem dies exegerat soles: itaque putat septem hebdomadas, aut menses septē, aut certe totidem annos significari. Castigans igitur corpus suum, licet etiam ante Dominum tota mentis intentione dilexisset, illiusque mandatis accuratè paruisse, ab eo tamen tempore usque ad supremum vitæ suæ diem, adeò earnem suam crucifixit cum vitijs & concupiscentijs, vt antea vita, huius extrema comparatione, delicata videri posset. Nemo eum tunc sine lachrymis orantem vidit: & cùm Missæ sacrificium offerret, ita inflammabatur, ac si Dominum in carne præsentem pati & excruciarī cerneret. Longum est hīc referre, quibus sece vigilijs, ieiunijs, precibus afflixerit, & Domino holocaustū præparārit. Atque vt hinc probatior & purgatior exiret, immisit Dominus in totum corpus eius uulcera, quae ille patienter tolerauit. Iam septimus vol-

**Quadragesi** uebatur annus, & sacram agebatur **Quadragesimæ** tempus, à cunctis fidelibus sancta deuotione obseruandum: eratque vir Domini sedulò occupatus commemorandis nouissimis suis, & quotidiè cum summa cordis contritione & lachrymarum profusione atque multa cum reverentia sacrificiū Missæ Domino offerebat, & corporis & sanguinis eius sacrosancta communione sece præmuniebat. Ea autem die, quæ Cœnam Domini proximè antecedit, cùm esset in cubiculo cum quibusdam fratribus, conquesitus est Prior se illam noctem habuisse longè omnium molestissimam: ille contrā affi-

**Vidit Chri-** mabat, se nunquam potum esse nocte lætiori atque iucundiori. Vidi enim, inquit, **stum.** Dominum Iesum: cui duo alij aderant, & ego tertius accessi, & ineffabilis sum delectatione affectus. Respondit Prior: Forfitan, pater sancte, Dominus Iesus te accitum venit ad regnum suum, sicut pollicitus est, priusquam in hoc regnum te conferres. Tum Abbas suspirans & fletibus ora profundens, Fiat mihi, inquit, secundū verbū tuum.

Postero die, qui erat Cœna Dominicæ, ad sacram aram sacrificaturus accessit, & omnibus fratribus Eucharistiā suis manibus porrexit. Peraetō sacrificio, cùm circa pauperes suscipiendo mandatum Domini implēset, ultimam cum fratribus cœnam facturus ingreditur. Quis hīc verbis possit dignè exprimere, in ea cœna quām serenum & iucundū omnibus vultum exhibuerit? Qui tum interfueré, videre sibi visi sunt quadam futuræ beatitudinis in eius vultu haud obseura indicia: tanta in illo præter solita lætitia reucebat. Neque id mirum, quandò totum eius pectus iam spiritus sanctus sua præfentia compleuerat, in coquè suauiter quiescebat, spesque certa propediem adfutura felicitatis & gloria ineffabile eius cordi gaudium adferebat. Iam ante annos duodecim cuidam ex eius discipulis, Gerardo viro religioso Dominus eius futuram gloriam reuelauerat. Cūm enim ille suo in lecto quiesceret, per visum quidam illi dixit maturæ ætatis vir: Surge, sequere me. Ille surgit, & sequitur præcedentē ad loca ignota. Tandem ad quandam planitatem amplissimam & floribus amoenissimam peruenient, in qua erat domus miræ amplitudinis, ex marmore constructa. In eam ingressi, tantam luminis claritatem, tantam odoris suavitatem, tam miram & incomprehensam iucunditatem hauriunt, vt verbis explicari non possit. Erat verò illuc sedes posita, gemmis & auro mirificè ornata: in eaque visebatur corona aurea, lapidibus preciosissimis intexta, sed neccidū absoluta. In circuitu sedis quatuor erant viri albis induti, qui laminas aureas & gemmas ad coronæ absoludū decorum compingebant. Stupefacti fratres ad harum rerum conspectum, is, qui eum cō adduxerat, ait illi: Scis, cuius hæc sit sedes & corona? Illo se nescire affirmante, ait: Hanc sedem tum vester Abbas promeruit, quandò conuersus ad Dominū, pro eius amore opes & copias & omnem mundi gloriam contempsit, & seipsum abnegans, eius crucem sustulit in humeros suos, eius vestigijs insistens. Porrò hac corona, vbi ea multis afflictionibus & diris infestationibus, quas pro Ordinis obseruantia pertulit & adhuc perpeccurus est, perfecta fuerit, coronabitur.

**Corripitur** lateris acri dolore.  
**Inde febri-** cula.

Peraetō cœna, surrexit vir sanctus, vt lauaret fratribus pedes: sed grauissimo lateris dolore impeditus est. Itaque recessit. Morbo autem magis magisque ingrauescente, in lecto reponitur, vbi quod supererat eius diei & noctem dimidiā cum magno cruciatus exegit. Deinde dolor ille abscessit, & febricula successit. Deficientibus sensu corporis

corporis viribus, in sabbato sancto fratres cum hortabantur, ut sacramunctionem perciperet. At ille libenter se illius sacratissima noctis vigilijs interesse velle aiebat, mirabiliter feruore incensus erga cultum diuinum: sed neq; virium imbecillitas, neque fratres, id ut faceret, permittebant. Designati autem sunt certi fratres, qui apud illum ea nocte permanerent: ex quibus unum ad se accersiens, Scis, inquit, fili, quia noua adest solemnis, Christianis omnibus veneranda. Itaque & nos debemus nouis vestibus induit: affter, quæso, ad me vestem, quam habes, ut illa induar. Intellexit ille facilè, quam diceret vestem, attulitque ei nouum cilicium, eoque, prius ablato veteri, eum induit. Rursus induit nouum autem admonetur ab adstantibus vir sanctus, ut sacramunctionem admitteret. Respondit ille: Præstante Domino meo Iesu Christo, lucem expectabo. Iam aurora rutilante, cum canerent in ecclesia fratres, Ut venientes vnguentem Iesum, Prior accitis aliquot fratribus, chorum exiit, sacrum oleum secum ferens. Vir sanctus illo veniente, tendebat ad extrema, atque hoc solùm crebro repetebat, Cito, cito. Peracta inde sanctaunctione, depositus est super cinerem & cilicium: sic enim decere mori Christianu, iam olim dixerat beatissimus Martinus Turonum episcopus. Ibì tum feliciter emisit spiritum octauo Idus Aprilis, anno Christi 1202. atatis vero sua nonagesimo octauo, a suscepto vero Abbatis officio quadragesimo. Eius religiosi filij sacrum corpus illius cum hymnis & canticis, quibus permixta erat lachryma & gemitus, in ecclesiam detulerunt: cumque ad sedes suas se receperint, Te Deum laudamus, inchoatum est, & matutina laudes Dominicæ resurrectionis, non quidem absque luctu & lachrymis, sed tamen debita cum veneratione, absoluta sunt. Vide huc lector, quā sit verē mirabilis Detis in psal. 67. sanctis suis. Nam neque sine gloria fuit patris huius vita, neque mors sine gratia, immo vero in conspectu Domini multum preciosa: quippe qui illo die receptus fit a Christo in paradisum, quo ipse viator ab inferis resurrexerat. Die secundo Paschæ humatum est corpus eius ante altare S. Thomæ apostoli, quod ipse adificarat, domino Abbatte Turillo ecclesiæ B. Mariae de Esrom cum suis monachis funeri eius officia debita exhibente, multisque tum è Clero, tum è populo cum magna devotione accurritibus, ut eius exequijs interessent. In eo autem loco Dominus noster Iesus Christus ad laudem & gloriam nominis sui per beati viri suffragia usque in præsens innumera præstat beneficia ijs, qui toto corde ipsum querunt: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Sed ò quantus erat hinc luctus omnium, maximè vero discipulorum eius: qui licet de tanti patris gloria cælesti nihil ambigeremus, eius tamen orbati præsentia, humano duci affectu, mōrebamus. Dies festi nostri contuersi sunt in luctu, & sabbata nostra in lamentationem: tametsi gaudere potius nos oportuit, quod quem magistrum habueramus in terris, deinceps intercessorem habituri essemus in cælis, si doloris acerbitas rationem admisisset. Sed benedictus Deus, qui mōrem nostrum vertit in gaudium. Nam post transitum patris nostri, iuuenes nostri visiones videbant, & seniores nostri somnia somniabant: vnde coniecimus quod propediem esset Dominus mirificatus sanctum suum.

Erant duo iuuenes ex beati patris familia, diuersis per id tempus in regionibus constituti, quibus hora mortis eius oblata est visio, non nihil quidem diuersa, sed utraque plena fide & digna memoratu. Alter ex his, Nicolaus nomine, à monasterio aufugerat, & dabat operam literis Hildesij, quod est Saxonie oppidum. Is vidit personā quandam eius beatib; ignoratam, in stola candida cælū scandere, & intra albicantes nubes ita recipi, ut tantum pedes & extremæ vestes cernerentur. Stetit igitur affixis cælo oculis admirabundus: sed mox adeit quidam sciscitans, quid ita miraretur. ac deinde subiungens: Hic homo, quem vidisti in cælum recipi, Abbas tuus es, qui multa patientia vicit seculi persecutions: nunc autem coronatur, quia fideliter permanxit in mandatis Domini sui. Expergefactus Nicolaus, ducitur poenitentia, redditque ad suum monasterium, & emendationi se offerens, hanc visionem omnibus enarravit. Alter, Godmundus nomine, in ii. Visio monasterio Sora degens, sub auroram eius diei, qua Christi resurrectio celebrabatur, adspiciebat in visione, penè tamen vigilans, multitudinem angelorum dulcissimè carentium. Ex ijs duo angeli, ineffabili splendore conspicui, quendam atatem maturum, vestimentis sacerdotalibus ornatum, dextra læuaque sustentabant, eius brachia suis humeris retinentes innixa, sicque ad cælum usque procedentes. Hos autem sequebatur diabolus cum multa furentium atque stridentium dæmonum turba: sed angelis cælos

Fff 2 pene-

penetrantibus, ille tristis via qua venerat, retrocessit. Ex socijs autem eius quidā instar claudicantium lento sequebantur gradu, quorū vni dixit Godmundus: Adiuro te per filium Dei, vt dicas mihi, quid sibi velint ea, quæ vidi. Ille toruo vultu & obliquis lumenib[us] cum intuens, ait: Abbas tuus Vilhelmus angelorum obsequijs in celum est deportatus: nos autem venimus aliquid iuris nostri in eo inquisituri, sed vim passi ab angelis, discessimus inanes. Manè surgens adolescentis, omnia suo magistro cunctisque, qui illuc aderant, exposuit, & tandem ad domum nostram reuerteret, eadem nobis quæ retulit, acceptoque religionis habitu, Deo militare coepit.

Miracula  
post obitū  
eius.

Post obitum autem suum vir sanctus multis claruit miraculis, factusque est omniex parte ingens hominum concursus, videre cupientium ea, quæ siebant apud eius sacras reliquias mirabilia. Daemoniaci purgabantur, paralytici reddeabantur in columnis, cœci videbant, claudi gradiebantur, audiebant surdi, muti loquebantur: contracti & genibus humili reptantes, erigebantur: leprosi sanabantur, mortui reuiviscabant: & penè exanimis, ab ipso mortis aditu ad lucē reuocabantur: nec homines modò, sed etiam pecora curabantur: aëris tēpestas sopiebatur, & sauiens maris vnda comprimebatur. Possent hīc multa commemorari sanè admiranda, quæ vel audiuiimus, vel vidimus in Paracletō, vbi sacram eius corpus conditum est: sed ipsa multitudo nos, nē id fiat, dehortatur.

## SANCTI CALLIOPII VITA ET MARTYRIVM, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

7. Aprilis.  
S. Calliopii  
parentes.



Armat se  
precibus &  
ieiunijs affi-  
duis.

Conſtas re-  
ſponsuſ  
ſancti ado-  
lescentis.

Theoclia mulier quædam pia, ac timens Deum cum tota familia sua, multas faciebat eleemosynas, & sanctè viuebat. Hæc viro nupsit senatorio, qui nullus ex ea, quoniā erat sterilis, liberos suscipiebat: Dei tamen munere tandem concepit. Sed cum adhuc uterum gereret, maritus eius defundus est. Quamobrèm in magna opulentia filium peperit, & Calliopium appellavit, qui in omni diuinarum literarum sapientia educatus est. Erat autem Pergæ Pamphyliæ patricius. Verum cùm eo tempore contigisset, ut idololatriæ error viseret, & veritas condiceretur, & multi sacrificarent idolis, sanctus Calliopius assidue ieiunijs & preceptionibus incumbebat. Quod cùm ad Iudices delatum esset, beata mater eius Theoclia consuluit filio, vt vitandi iudicij causa, aurum, vestimenta, seruosque sumeret, & illinc nauigaret. Pompeiopolim igitur Cilicij se contulit. Vbi cùm impius praefectus Maximus Bacchanalia, & ludos, & choreas, & coniuuij idolis celebaret, admirabatur pius adolescentis, quanam illa essent. Ipse enim ieiunijs perpetuò vacabat. Ab illis igitur, qui aderat, percontatus est, quid illud esset. Qui cùm respondissent, deorum esse celebritatem: Veni, inquiunt, & tu, vt coniuuij particeps fias. At ille: Christianus, inquit, sum, & Christum ieiunijs celebro, nec quæ sunt flagitiosis atque impuris idolis immolata, licet in os corū, qui Christum colunt, ingredi.

Hæc cùm ad aures Praefecti peruenissent, ira cundia plenus, iussit eum in iudicio sisti. Quod cùm esset factum: Ecquod, inquit Maximus, nomen est tibi? Christianus sum, inquit, & Calliopius vocor. Cur, ait Maximus Praefectus, cùm per orbem vniuersum deorum celebratis peragatur, tu in isto errore persistis? Vos, inquit Calliopius, in errore nebrisque versahini, qui, relieto Deo viuente, qui cælum & terram, & quæ in eis sunt, omnia Verbo procreauit, laxa sensus expertia, & ligna putrida, quæ sunt manuum impiarum opera, colitis & adoratis. Adolescentia, inquit Praefectus, te petulantem reddit, & magnos tibi cruciatus parat. Dicigitur, è qua gente sis, & ex quo genere. E. Pamphyliæ sum, inquit Calliopius, & patricius genere, & quod nobilissimum est, Christianus. Dic mihi, Praefectus inquit: Parētes habes? Mater, respondit Calliopius, superest: nam pater iamdiu defunctus est. Per solem ac deos omnes, Praefectus inquit, si vis esse prius & diis immolare, filiam, quam vnicam habeo, tibi vxorem dabo. Si vxorem, inquit Calliopius, ducere decreuissim, non prius filiam tuam accipere, quam mater mea id sciret & approbareret. Verum sic habero, me Christo meo credidisse, & puluerem hunc,